

20
1792/13
13

SCHEDIASMA IN AVGVRALE

ANALECTA QVAEDAM

EX

ANTICHRESI COLLECTA

PROMENS

QVOD

CONSENTIENTE ILLVSTRI ET INCLYTO

IVRECONSULTORVM ORDINE

PRO SVM MIS

IN IVRE VTROQVE HONORIBVS

CAP E S S E N D I S

A. D. XXV. AVG. MDCCXCII

PVBlico PROCERVm EXAMINI

S V B M I T T I T


A V C T O R

WILHELMVS ERNESTVS WICHELHAVSEN

B R E M A N V S

G O T T I N G A E

L I T E R I S B A R M E I E R I A N I S.



INCLYTAE ET LIBERAE
SACRI ROMANI IMPERII
REIPUBLICAE BREMENSIS
SENAT VI
SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO
VIRIS
PERILLVSTIBVS, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS,
CONSVLTISSIMIS
PATRIAEC PATRIBVS

H O C

QVALECVNQVE SPECIMEN

PIA DEVOTAQVE MENTE

O F F E R T

T A N T O R V M N O M I N V M

P A T R I A E P A T R I B A S

C V L T O R O B S E R V A N T I S S I M V S

A V C T O R.

Bonum factum, est et haec quaeslio e triuio scholæ, de veteri
carmine carmen! exclamantes videor mihi exaudire nonnullos,
quibus lemma de antichresi propositum, veluti tritum satis ac vul-
gare parit fastidium. His quid reponam iam nihil habeo dicere:
interim eadem vti formula licebit, interdicendo, ne otio abutan-
tur suo; potius quod adeo timent, vitent tacedium oculisque par-
cant ac rerum suarum fatagentes ad quaevis alia, quae lectu
vtiora reputabunt, deproperent. Non diffiteor equidem, multa
extare ad hanc rem et scripta et disputata. E multitudine vero
dictorum causam silentii quaerere, quis quoefero serio animum in-
ducat? Vnicuique liber esto de qualibet causa non plane diuina,
sensus priuatusque stylus: qui si ratione prorsus hand deslittatur,
quid est quod debeat aliis ex sola dicentium auctoritate quis ce-
dere? maxime vbi tot sententiarum diuortia tot opinionum ob-
versantur syrtes, vt, cui palmam tribuas, vix ac ne vix quidem
conset. Tunc certe aequum non est pendere ex magistri alicu-

ius etiam si famigeratissimi semper nutu, nec sibi fidere vnuquam. Catum igitur ac nauum praedicamus illum, quem non piguerit animo per se suo rimari atque lustrare cuncta, aut cum alios etiam sequatur vel ad vnum quendam ex proceribus sese alliget, ita tamen hoc faciat, vt ius censendi sibi referuet, proprioque fungatur arbitrio. An vero hae ipsae rationes mihi iuueni quem iudicium ferme satis exercitatum in eiusmodi caussis, aut illa severior doctrina, quali in recensendis aliorum sententiis opus, plane desicere sentio, excusationem sint conciliaturaे, dubitarem valde, nisi obtemperandum fuisset nutui illius, cuius desideriis arclissima coniunctio pietatisque religio parendi iucundam imponunt necessitatem. Transactis nempe studiorum meorum prope curriculis ad demerendos in iure vtroque honores, vt scripto quodam me iam habilem redderem, is auctor suasorque fuit. Sero paulisper fateor innotuit haec grata semper voluntas. Accidit eo, quod haec analecta raptim et properante calamo essent in chartam coniicienda: quae si ob illud breuissimum tempus, quo sunt tam exarata quam elaborata, aliquali digna habebuntur apud aequos literarum aestimatorem venia, in sinu gaudebo.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

*Antichrefoes indoles e vocis notione proposita
et euoluta.*

§. I.

Introitus.

Cognata vocabula $\chiρίσιν$ esse et $\alphaὐτίχρονων$ adeoque cognatum quoque fundere sensum, etiam eos ne fugit quidem, primis qui, ut aiunt, labii Graii sermonis degustarunt latices: nam ut $\chiρήσις$ usum ita $\alphaὐτίχρονος$ usum contrarium sive mutuum designat. Enī a maioribus accepta perque manus veluti a veteribus ICTis ad nos translata notio. Displicuit tamen haec ipsa doctrina CLAVDIO SALMASIO, prurienti ac turgido stylo, immo vero desultoria leuitate in totum Iurisprudentum chorū inuenienti, ac si ad unum omnes despicerint hactenus neque genuinum vocum earum calluerint perspicere sensum. *Veniam mihi dent, inclamat ille sati* ambitiose a), qui se magnos profitentur *Iurisconsultos*, si dicam eos ignorare, quid sit proprie $\alphaὐτίχρονος$ ac patientur se doceri, doctores aliorum, ab eo, qui non est *Iurisconsultus*. Quod enim hactenus creditum ab illis fuit, antichreſin nihil aliud esse quam mutuum

a) de modo usurvarum c. 14. p. 618.

mutuum usum, nunc id deditant, sciantque contrarium mutuum ea voce significari. Nam in libro de usuis docuimus χρήσιν Graecis non solum esse usum ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι, sed etiam mutuum, ἀπὸ τοῦ χρῆσται. Nollem sane verba haec fastu plena onerataque amplissimis viro excidissent incomparabili: vasta enim quae ceteroquin in omnibus fere Claudi scriptis pellucet ingenii vis summumque acumen, ut lectorem ad venerationem sui omnino rapiat, multum tamen decederet ab illa inuitum quodammodo cogit hominis certe doctissimi illiberalis arrogantia. Impetum quidem retundere, ac Salmasium alieno veluti solo tripudiantem depellere studuit GERARD. NOODT b): at vereor ne depulerit infelici ferme successu, de quo deinde pluribus agendum erit. Iuuabat scilicet Gerardum eximium nostrae artis mystam secundum placita recepta dare nec non decernere vindicias. Atque hoc modo fausti nominis et hilarioris famae in scenam produxissemus duumuiros, alterum Themidi operantem ex professo, alterum in vniuersum Mineruae alumnū, atque doctrinarum multiformium doctorem, quorum non tantum circa verborum proprietatem versatur contentio, verum etiam ad mentem legum et veterum prudentum cogitata pertingit. Experiāmur itaque, quid in hac sententiarum disparilitate, iuri et causae conueniens elici queat, quae via variis quaestionum sinus detur eluctari: neque pigebit nonnullorum exemplo vocum prius euoluere intellectus et demum his stabilitatis ad cetera proferre gradum.

b) *Observat. lib. II. cap. 9.*

§. 2.

§. 2.

Χρῆσις quid?

Χρῆσις sive deriuetur ἀπὸ τοῦ χρῆσαι sive ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι, primo ac genuino suo sensu *vtendi facultas* dicitur, ut sit omnisi uitalis commoditasue, quae fruitione constat. Χρῶ enim est *do utendum, in usum concedo*, sicuti χρέους *ad usum traduco, verto in usum, fungor, potior, fruor, utor aliqua re*. Licet enim χρῆσις usum *utplurimum* denotet, qui ab usufructu distinguitur, prout docet VLPIANVS L. 10. §. 1. *D. de usu et habitatione non-nunquam tamen ponitur pro usufructu. Vide Nov. II. praef. et Nov. XXII. cap. 46.* vbi χρῆσις nā ἐπιυερπτα usumfructum signifiat, cui in L. 37. §. 7. *D. de legatis II.* opponitur χρῆσις μόνη nudus usus. Translata deinde conspicitur ad ipsam conuentione, ex qua usus competit: quid quod res usui tradita eadem appellatione subinde insignitur. Sub conuentione autem ista non vnicē intellegendum venit *mutuum, sed et commodatum*, quin etiam *locatio conductio*. Generale nempe adeo hoc nomen est, ut nihil intersit qualem animo conceperis *contractum, gratuitum an onerosum, vel aliam forte negotii figuram, quandoquidem precario haud minus scite conuenit*. Prō re demum accepta, quamcunque usui cominodam complectitur, tam mobilem quam immobilem, fungibilem aequē ac non fungibilem. Hinc non is solum, qui rem vtendam dat, id est creditor, verum et ille qui

B

vte ndam

vtendam accipit, id est debitor, χρήσης vocatur, nullo peculiari-
ter habito ad mutuum respectu. Scholiasten audiamus Aristophani-
nis in *Nubibus* *Adi. I. Sc. 3.* ad v. 239. Χρήσας aientem, Ari-
stophanem dicere τοὺς δανεισάς. usum autem τοὺς χρεωφειλέτας, χρή-
σας. Athenienses vero τοὺς δανεισάς χρήσας. at τοὺς ὀφειλέτας,
χρεωφειλέτας καὶ χρεότας. Addit: Φωνήσθης ἐν μὲν τοῖς ἀντὸν πο-
ιῆμασι, κατὰ τὴν συνήθειαν τοὺς χρεωφειλέτας χρήσας καλεῖ, λέ-
γων ὄύτως*

— — — χρήσης πακοῦ ἔμμεναι ἀνδρός
Φεῦγε, μὰ σ' ἀνητείς σίδους, παρὰ παιρὸν ἀπαντέων.

Ἐν ἐνείῳ μὲν τοι, ἀντὶ τοῦ δανεισῆς λαμβάνεται, αὐθέποτε χρήσης
πιπρὸς γένη ἀνδρὶ πένητι. Ergo relata hic inter se permutantur.
Plura supersedemus addere. Notiones sunt e Lexicis notissimae,
suisque auctoritatibus suffulta.

§. 3.

Anτιχρησίς quid?

Praemissis igitur, quae praemonenda opinabamur, viam iam
patesfactam censemus, qua rimari licebit, atque penitus euoluere
indolem ἀντιχρησεως, vocis ciuitate Romana donatae, nec non in
iuris libris passim obuiac, cuius identidem triplex formari potest
σημασία, ut mox *usus*, mox *res* et denique *pallio* eodem nomine
compelletur. Quod vero ad usum attinet, illum non simplicem
sed

sed qui se ad certam causam referat, hoc loco indicari praeposita
 vocula ἀντι commonemur: nequaquam itaque videntur errasse mul-
 toque minus moleste ferendi, qui contrarium seu mutuum usum
 hoc ipsum vocabulum interpretati sunt. Fallor, aut ἀντιχρηστις
 haud male dici poterit usus usui retributus, quoniam compensationi
 propemodum adsimilatur, vel etiam, neque id displicet, fruitio,
 aliis praestationis vice, alteri concessa: qua certe ratione competere
 creditori fertur, cui fructus fundi ex complacito loco usurarum
 percipiendi adsignantur. Apte sane, quicquid cauilletur Salmasius,
 Graeci ἀντιχρηστιν exponunt τὴν ἀπὸ τοῦ ἐνεχυρισθέντος ἀγρὸν παρ-
 πῶν ὑπὲρ τῶν ἀνάληψιν, fructuum ex agro oppignerato pro usu-
 ris perceptionem, vel ut vetus Glossarium habet: ἀντιχρηστις ἐσὶν η
 ἀπὸ τῶν ἐνεχυρισθέντος ἀγρὸν παρπῶν ὑπὲρ τῶν ἀνάληψις, fructuum
 ex agro per culturam prouenientium pro usura perceptio: quamuis
 dissimulare nequeam, anguste nimis Graeculos ita descripsisse, cum
 et nudo facto utputa habitatione consistere possit, ut est in L. 14.
 C. de usuris, immo vero in antichreli non opus utique sit oppig-
 nerato fundo. Sine pignore autem existere antichresin, infra
 commonstrabo. Porro quod sub ista compellatione res quoque
 antichrestice concessae veniant, notius est quam ut multis prole-
 quar. Sicut enim hypotheca non pignoris nexum solum, verum
 et rem pignori suppositam, aut ἀντιφέρου, non donationem pro-
 pter nuptias tantum sed rem etiam donatam designat, pari modo
 de antichresi statuendum putamus. Tandem hic notari meretur

significatus, quo ipsa nuncupatur conuentio, vnde illa vtendi proximanat facultas sive potestas.

§. 4.

Vapulet iniuria Salmasius.

Quorū vero haec tam multo apparatu exposita? eo fortassean, vt dicam scriberemus Salmasio? Omen auertant dii! Nugas quippe non egisse, saltem non male, contra Noodtium scholeā placitis nimium inservientem, Claudium nostrum, quosque a partibus eius stare animadverto, ARN. VINNIVM c) scilicet, et haud inglorium illum inter Hispanos ICTUM GREGOR. MAIANSIVM d) vidisse ac docuisse suspicor, ἀντίχρηστον contrarium mutuum dicentes: praterquam quod, si profitear ingenue, quid equidem sentiam, melius profecto ad integrum rei ambitum denotandum, contrarium creditum, appellassent, credendi verbo generali sensu accepto vt omnes pene pactiones, quatenus vſus vſui retributus iisdem insit, complectatur. Ista certe bile non opus erat, qua contra hanc doctrinam, Noodtii esterueſcebat animus, vtique cum ipse in hoc notandus sit, quod hanc conuentiōnē ad pignoris vſum restringat. Frustra enim contendit, vbique mutuum pignoris vſum antichresin significare quando in iuris nostri libris oc-

e) Selectar. iur. question. Lib. II. qu. 7.

d) Diff. de servitutibꝫ non oppignorandis n. 31. Tom. I. Dif-
fervat. iur. p. 87.

cursit, et veteres voce ea semper sub hoc nomine usus fuisse
ICtos. Caussam erroris, quem et alii iam ante Noodtium, atque
cum Noodtio deinceps errarunt plurimi, nequaquam difficile est
detergere. Fefellerunt nempe verba Marciani in L. 33. *D. de pi-*
gnoratia actione: Si, aientis, pecuniam debitor soluerit, potest pi-
gnoratia actione vti ad recipere andam αντιχρησιν: nam cum pignus
sit, hoc verbo poterit vti: porro quae ab eodem ICto in L. u.
§. i. D. de pignor. et hypoth. prolata existimantur: Si αντιχρη-
σις id est mutuus pignoris usus pro credito, facta sit, in qui-
bus, si Diis placet, definitionem, ut aiunt, legalem se inuenisse
crepant e.). At boni hi non attenderunt interpretamentum illud
neutiquam esse a Marciano profectum, nec potuisse ab eo profi-
cisci, nisi sibimet ipse contrarius haberet voluisse, sed potius esse
Interpretis alicuius somnium, quod deinde Themide inuita e mar-
gine in ipsum fragmenti textum irrepit. Exulat etiam e Floren-
tinis Pandectis; certo sane indicio, spurcum esse glossema, et tan-
quam tale valeat, quantum valere possit. Documenta nicae senti-
tiae mox largiar plura. Ateniuero instas, communem tamen
Interpretum scholam antichresin proprie et formaliter sumtam ad
pignus referre ut non sine pignore sit, immo ipsum pignus

B 3

hac

^{e)} Ita nempe GARLIEB HANKER Diff. de vera indole et natura an-
tichresos (Giffae 1783. edita.) L. 4. n. 2. Haec definitio legalis
latior tamen est suo definito idque verba, quae sequuntur: cum in
usuras frudus percipiat, probant.

hac qualitate auctum? Verum quidem est, sed tantum scholae non valet apud me auctoritas, vt si erroneis vtatur argumentis, mutus quidem aut quasi luminibus orbus coeca religione illius placita venerer. Sed satis de his. Prosequor nunc filium coeptum redundo ad ipsam conventionem ex qua pendere sive competere potest reciprocus usus.

§. 5.

Antichresis qua conuentio.

Conventionalem antichresin non solum intra terminos pacti subsistere, sed nonnunquam etiam figuram contractus induere, ita perfusum habeo, vt vix ac ne vix quidem ab illa sententia me auelli patiar. Articulum quando interrogabis: respondeo Do vt des. Norunt autem, quotquot Themidi operantur, quam late pateat, huiusc obligationis causa. Cum igitur haec sit res notissima, pluribus eidem immorari abstineo, ne otio ac tempore aliorum abuti videar. Sufficiet itaque mentem aperuisse meam. — Iam quæso, Salmasius quid peccauit, quid peccarunt alii magnum doctorem secuti, dum contrarium mutuum dixerat antichresin? Titius dat centum pondum auri Caio in mutuum, vt ipse illi vicissim det quadringenta argenti. Quale negotium illud nuncupaueris quaero? Equidem quin appellem antichresin dubito nullus. Innominatum quippe contraxerunt per speciem Do vt Des sub lege mutui, vnde obligatio Caï ad contrarium mutuum. Porro Sempronius commodat

rem

rem Iauoleno, vt hic illi commodet aliam. Iterum antichresin habemus eiusdem formae, et contrarium inde emergit commodatum. Adeo enim et hic contractus innominatus Do ut Des sub lege commodati initus. Res sane haud vilis est momenti; negotium nempe per se subsistens existit, obligationem perfectam producens, cuius adimplendae causa praescriptis verbis competit actio. Haec tenus vindicem egimus Salmasianaæ doctrinae, insimulque cogitata nostra, cum *creditum reciprocum* supra nominauerimus, tuiti sumus. Iam age naturam ac indolem antichreseos expiscemur tanquam pacti virtute cuius utendi facultas in alio eoque principali negotio solet concedi. Certe non dissitemur, saepius apud Romanos vsu venisse, quod illud ipsum antichresticum ius pacto magis adiecto, quam contractu innominato constitueretur.

CAPVT ALTERVM.

De antichresi qua pacto adiecto.

§. I.

Notio generalis.

Pactum antichresticum est pactio accessoria qua vñus confessus per reciprocam re aliena utendi facultatem creditori retribuitur. In omni enim antichresi requiritur, vt creditor re aliena

aliena vtatur fruatur. Formas varias huiusce conuentionis oppido bene HANKER^f) exposuit, ad quem lectorem ablegamus. Ceterum constat hoc pactum vplurimum pignori fuisse adiectum, vt creditori liceret fructus capere ex re pignerata pro crediti causa: et hoc est etiam quod volunt Graeci dum ἀντιχρηστιν appellant, fructuum ex agro oppignerato pro usuris perceptionem. Fructus vero intelliguntur omnis generis accessiones, quarum existentia rei qualitate vel naturali vel etiam cjuili continetur, adeoque perinde est vtrum naturales an ciuiles animo concipiāt: potest enim creditor anticristicus hanc facultatem aliis locando concedere, modo nihil aliud conuenerit g). Praeterea pignus hic tale supponendum, quod fructus producere valeat, siue rem fructiferam, in aprico habetur. Sit corporalis aut incorporalis, mobilis aut immobilis, nihil interest, dummodo fructus ferat vel naturaliter vel ciuiliter: vnde et aedium domuumue aquae ac fundi agriū datur anticristis h). Et quoniam pignoris causa debitum verum coexistens requirit, parum attinet, qualiscunque obligatio adsit, siue mutua data fuerit pecunia, siue emtio venditio contracta, siue locatio conductio, vel mandatum: siue pura contracta sit obligatio vel in diem vel sub condicione, siue ciuilis siue honoraria, vel tantum naturalis i). Securitati vbique prospicitur per pignoris constitutionem

credi-

f) Diff. supra all. §. 4. seqq.

g) L. 11. §. 1. D. de pignoribus. arg: L. 6. C. de locato conductio.

h) L. 36. D. de usuris.

i) L. 5. pr. L. 14. §. 1. D. de pignor. et hyp.

creditoris, at praeter securitatem nihil commodi redundat in illum, utpote qui ne hilum quidem debitore inuito lucrari ex pignore, neque eodem ut in propriam utilitatem, neque fructus vice et loco usurarum percipere valet; perceptos autem in ratios exonerandi debiti, id est usurarum et fortis computare, nec non quatenus debitum excedunt, reddere tenetur¹⁾. Fruendi de-
mum facultate pollet, consentiente debitore, cuius ex intentione concessum usum aestimari oportet. Nam secundum voluntatem concedentis prouentus rerum pignori subiectarum mox fortis mox usuris imputantur, mox vero loco et vice usurarum percipiuntur, quiniammo nullo prorsus ad sortem aut usurarum modum habito respectu nonnunquam generatim conceduntur; quo nempe casu usus pignoris plene tribuitur creditori pro usu crediti. Nihil enim impedit quo minus debitor ita liberalem in creditem animum exferat, ut ipsius pignoris veluti ususfructus constituantur, atque hoc modo beneficium reputetur beneficio. Coetus quidem docto-
rum, ne alias diuisiones commemorem, distinguit antichresin in veram nec non proprie sic dictam, et impropriam. Illam dicunt,
pacium quo conuenit ut creditor re pignerata loco usurarum vta-
tur fruatur: omnem ceteram impropriatis nota onerantes. Tra-
dunt quoque, illam sine pignore haud posse subsistere, immo
vero

¹⁾ L. 1. 2. 3. et 12. C. de pign. actione. L. 1. C. de diffract. pignor. Addo
L. 23. D. de pign. actione.

vero ipsum esse pignus. Perperam haec omnia. Nemo quippe veterum ita distinguit, nec crebior alicuius negotii usus indolem eius peculiariter qualificare valet, cum idem negotium maneat, etiamsi non ita saepe recurrat. Alioquin mutuum pecuniae tantum esset proprium, et aliarum rerum fungibilium improprium: quandoquidem crebro ac saepius nummorum aut quantitatis pecunia consistentis contrahitur, quam frugum aliarumque rerum consumtibilium. Quod tamen effatum oppido falso ac cachinno dignum existimaretur. Antichresia equidein veram et illam reputo, quae sine omni pignore datur. Ipsum MARCIANVM appello, qua iudicem ac testem omni exceptione maiorem, ut dissidentes Iurisconsultum a suis partibus flare autument.

§. 2.

Detectur vera mens Marciani in L. n. §. 1. D. de pignoribus et hypothecis.

Plerorumque animis infedit et adhuc infidet illa opinio, ac si definitionem proposuerit Marcianus libro singulari ad formulam hypothecariam, unde transumpta est L. n. D. de pignor et hypoth. quando in huius §. 1. verba sequentia facit: Si αντιχρεια, id est mutuus pignoris usus pro credito, facta sit, let in fundum, aut aedes aliquis inducatur: eousque retinet possessionem pignoris loco, donec illi pecunia solvatur: cum in usuras fructus percipiat, aut locando, aut ipse percipiendo, habitandoque. Itaque, si am-
serit

serit possessionem, solet in factum actione vti. At, si quid coniecta valeo, frustra ista sententia Marciatio obtruditur, a mente eius prorsus aliena, quam tamen obseruare in primis nos decet. Lectionem autem in exordio depravatam verbaque illa, quae tanquam antichresin declarantia subiiciuntur, spuria esse nec unquam Icto excidisse, arguit sane totius effati contextus. Quorsum nempe possessionis retentio pignoris loco? Quorsum et actio in factum, si antichresis hic esset mutuus pignoris usus? Male certe hoc modo locutus fuisset Ictus, ne dicam pessime sententiam dixisset, dum longe minus verbis exprimeret, quam quod res ipsa postulabat. Etenim cui bono actio in factum, quando antichresis pignus? cum competit pigneratia: neque tum retinet creditor possessionem pignoris loco, sed ipsam rem tenet pignoris iure, donec illi solvatur pecunia. Accedit, quod nec Tuscum Pandectarum exemplar nec melioris notae editionis hacc: id est mutuus pignoris usus pro credito, agnoscant m). Exeat igitur hinc maculosus ille *interpretis* pullus, atque desinat diutius legentibus facessere negotium. Extorserat certe violentam eam emendationem NOODTIO, qua contra fas legit: *Itaque si amiserit possessionem solet hac actione vti,* formulam hypothecariam intelligens, quanquam in omnibus exemplaribus etiam Florentiae, ex-

C 2

prima-

m) Desunt quoque in Pandectarum editione quam curauit CL. G. A. SPANGENBERG et tantum veluti glossema in calce paginæ inter adnotamenta locum occupant.

primatur in factum actio. Quouis pignore contenderem, ut si olfecisset infarctum illud crassa Minerua glossema, illico manum ab ista vi abstinuisse NOOTIVS. Nam quae deinceps ab eodem congeruntur ad fulciendam suam lectionem, tanti non sunt, ut valde commendare valeant tetram medicinam. Stare quidem pro sua emendatione id est actione hypothecaria, ait, Titulum, *De pignoribus et hypothecis*, sub quo positum sit id Marciani caput: nec Titulum tantum, verum ipsius quoque capituli inscriptionem, quae est *Ad formulam hypothecariam*. Atenim uero malae cause mala quaesita est latebra, quasi oportuisset Iureconsultum ex inscripto verba duntaxat metiri, neque ad alia etiam si adsinia vel cognata sinere mentem expatiari. Alibi in eodem libro singulari Marciatus locutus erat de antichresi pignoris, hic autem loquitur de antichresi circa pignoris obligationem. Ibi enim (verba referto L. 33. D. de pign. act.) *Si pecuniam, respondet, debitor soluerit, potest pigneratitia actione uti ad recuperandam αὐτικέντων: nam cum pignus sit, hoc verbo poterit uti, i. e. hac formula quae est pigneratitia poterit experiri: verbum scilicet pro actione subinde poni aliunde liquet n).* Merito displicuit inuenusta NOOTII crux, cum praeterea contra Basilicorum etiam auctoritatem impingat, FR. ESAIAE PFFENDORFIO o) deieclam in factum

n) Confer. L. 4. §. 2. D. de vulg. et pupill. substitutione. L. 2. C. de boni vacante.

o) Tom. II. Observat. 169.

factum actionem pristinae sedi optimo iure restituenti. Ceterum acutissimum virum quandoquidem video litasse adhuc inveteratae opinioni, qua pignus creditur antichresis, argumentis eius pro adstruendo Marciani dictis sensu genuino, nequeo et nolo vti. Fatur interim? et quidni? ipsae illae suppétiae magnam videntur interpreti creasse molestiam. Saltem id commonstrant cum circuitus verborum eorumque inconsistentia, tum suppositiones, alii dicunt principiorum petitiones, queis tamen egere Marciani sententiam non crediderim. Haec fortean meae mentis est habitudo, vt nequeam assequi qualem Marciano voluerit ferre opem, adeo enim vacillare multumque se torquere doctissimus ceteroquin mihi videatur PUFENDORFIVS. Verum ista iam nihil moror. Plana ac aperta est veteris Iureconsulti doctrina, modo sustuleris et enecaueris monstrorum illum Glossatoris cuiusdam suppositum partum. Si $\alpha\gamma\tau\iota\zeta$ id est conuentio de usu rei determinatae pro credito facta sit, et in fundum aut in aedes aliquis (creditor) inducatur, eousque retinet possessionem pignoris loco (non, quod eo ipso pro vere pignerata habeatur, sed pari ratione ac si pignus esset) donet illi pecunia solvatur etc. Itaque si possessionem amiserit, solet in factum actione vti (aduersus debitorem). Alius scilicet quam debitor intelligitur nullus, aduersus quem in factum agatur, cum in personam sit actio, non in rem p). Cur autem amissa possessione ita experiri oporteat? Responsum cape, quia pura et sum-

C 3

plex

p) L. 52. D. de rei vindicatione L. 23. S. 5. L. 43. cod.

plex circa pignoris obligationem erat antichresis, ex qua nec pigneratitia contraria nec hypothecaria actio vlo modo competere potest. In pignore requiritur legitima constitutio, maxime per contractum, quae vbi deest, omnis quoque exulat pignoris caussa, vt ne tacitum quidem iure possit statui pignoris vinculum. De conuentione rogitas? Dicam quod sentio. Conuenerat de mutuo, simulque conuenerat, vt debitor fundum concederet creditor iu*ta* vtendum qui posset in usuras fructus percipere aut locando aut ipse percipiendo: tunc si secundum placita inductus fuerit in fundum creditor, (traditione nimurum facta, penes creditorem demum existit ius, cum alioquin ex pacto, mutuo tanquam contractui stricti iuris licet in continentि adiecto, nulla exoriatur agendi potestas) ac deinceps amisit re legitime ablata possessionem, neque enim si culpa propria ipsam perdiderit, contra debitorem aget, haud alia quam in factum aduersus debitorem poterit uti actione tam ad fructus amissos quam ad aliam antichresin ipsi restituendam. Idem eo magis obtinebit, vbi ab initio pactum de mutuanda quantitate certa, et vicissim de re certa pro credito in usum danda, adeoque bilaterale initum fuerit, et implemento utrinque secuto, antichresis creditor euictione ablata sit: vt taceam quod tum simulac tradiderit mutuum creditor, ex innominato contractu ad ipsam antichresin dandam compellere valeat debitorem praescriptis verbis formula. Denique non est quod angat verbum solet, quo utitur Ictus, dum ait: *solet in factum actione vii.* SO-

LET

LET verbo denotatur regula, prout Cuiacius in *L. 46. D. de regulis iuris* recte monet, qui et plura hanc in rem cumulat exempla lib. *VIII. observ. c. 39. q.* Constat sic existimo iuris prudentiam Marciani, vt tam pro fructibus quam pro antichresi consequenda competit in factum actio.

§. 3.

Vterior disquistio.

Ex dictis igitur patet, non semper antichresin esse in pignore, eosque valde errare, qui putent, illam per se non constare, sed denum in contrahendo tradendoque pignore interponi. Nam aequo per se constat $\alpha\nu\tau\chi\omega\nu\sigma$ atque ipsa $\chi\rho\eta\sigma$. Etsi pignori non sit fundus traditus, quia ita ab initio datus haud fuerit, quoniam tamen ea lege $\alpha\nu\tau\chi\omega\nu\sigma$ datus est, vt tamdiu eum possideat creditor fructusque eius in usuras percipiat, donec pecunia soluta sit, vera et propria adest antichresis. Idecirco vero si dicere velles negotium esse impropprium: nae maiori iure appellasse illud quod in pignore constituitur, impropprium, cum verius sit pignus cum conditione antichrestica, quam proprie antichresis. Sed ita nolo. Vera et sine vlla pignoris caula extat antichresis in

L.

q) Aliud exemplum Quintiliani *Declam.* 358 et 372. indicauit Corn. van BYNKERSHOEK *Lib. VIII. Obs. cap. 4.*

L. 14. C. de usuris r) qua qui mutuam pecuniam dederat pactus erat, ut vice usurarum domum debitoris inhabitaret, et pacto, ut conuentum, usus erat non locando et pensiones redigendo, sed habitando. Illius legis *Σεματισμὸν* nobis exhibet Harmenopolus lib. III. tit. 5. n. 6. quamvis domum quae data est habitanda vice usurarum pignori datam fuisse Graeci interpretentur. Verum in verbis legis Latinae nihil de pignore nominativum dicitur, aut obligatione pignoris. Quod vero in lege non exprimitur, subintelligere nequimus, ut pignoris eam fuisse pactionem existimemus, praecipue cum certum sit, posse antichresin constitui sine villa pignoris conuentione, quemadmodum et thema legis evidenter fuggerit.

§. 4.

An detur antichresis tacita.

Neutquam vacat multa proferre de celebratissima illa distinctione, qua alia dicitur expressa, alia tacita antichresis. Pro certo enim habeo nullam esse tacitam, qualem sibi inuenisse *CVIACIVS s)* in *L. 8. D. quibus in causis pign. usus est*, et cuius deinde tot viri docti venerati nec non secuti sunt sententiam, ut haec opinio, quando ex numero aseclarum solummodo aestimanda veniret, facile

v) Adde *L. 17. C. de usuris. L. 6. C. quod cum eo qui in aliena pot.*

s) *Lib. VIII. Observationum, cap. 17.*

cile eos, qui contra sentiunt, multitudine horum, qui oraculum illud summi Interpretis coeca sequela tuerentur, superet. Quid si ex notissimis artis nostrae regulis commonstremus, talem quam fingunt non posse existere antichresin? De verbis Pauli mox videbimus, cum ipsa ex L. 8. cit. extulerimus. Dupondii scilicet norunt, creditori non aliter usum esse pignoris nisi ex concessio, siquidem hic in securitatem crediti duntaxat rem possideat pignera- tam. Quo pacto itaque in mutuo gratuito ex re frugifera in pi- gnus data fructus capere pro usuris potis erit? Et nihil secius hanc facultatem esse concessam existimat, quam tacitam nomi- nant antichresin. Accedit quod usurae exigi non possint in strictis iudiciis, quam si deductae in stipulationem. Quenam ergo ratio usurarum percipiendarum in mutuo, non gratuito solum sua natura, verum et stricti iuris negotio, quas nullo modo debitor promiserat? Attamen ait PAVLVS: *Cum debitor gratuita pecunia utatur, pot- est creditor de fructibus rei sibi pigneratae ad modum legitimum usuras retinere.* Gratuitam pecuniam omnes fere interpretantur, absque usuris creditam. Glossatores paclum de usuris inter credi- torem et debitorem subintellexerunt. HOTOMANVS t) aliquie ne- gationem inferunt legentes: *Cum debitor non gratuita pecunia utatur;* sed contra hanc injectionem pugnat praeter ROBERTVM, CVIA-

CIVM-

t) lib. I. Obs. 4.

CIVVMQUE ANTON. FABER u). Alii vt SALMASIVS w) et qui eum sequitur ARN. VINNIUS x) memoratam legem g. de casu morae student explicare. Evidem iam non implebo chartas describendo tam argumēta quam rationes quibus vtuntur ad conciliandum legi sensum: potius ablegamus quoescunque ea legere iuvat ad ipsos scriptores. In hoc sane iisdem adslipulamur, quod tacitam reiciant antichresin. Promam nunc quae ipse cogitabam de hoc Pauli estato. *Pecunia gratuita* mihi non est, quae gratis sive sine usuris a creditore data est debitori, de hoc enim nihil habetur in fragmento; sed qua gratis vtitur debitör, licet stipulatione ad usuras legitimās soluendas se adstrinxisset, vel etiam pacto, si creditorem intelligamus cui ex pacto usuras exigere per leges licet, vt in mutuo (trajectiliae pecuniae y), aut si ciuitas creditrix sit z). Verum quidem est gratuitam pecuniam ordinarie accipi pro ea, quae sine usuris debetur a), at quid impedit, quo minus Paulus dicere potuerit debitorem usuras promissas debito tempore.

u) Error. Pragmat. Dec. IX. err. 5. 6.
 w) de modo usurarum. c. 14.
 x) feliciterque. L. 2. q. 7. de nautico foenore.
 y) L. 5. §. 1. L. 7. D. de nautico foenore.
 z) L. 30. D. de usuris.
 a) L. 10. §. 8. D. mandati. L. 2. D. de calumniatoribus.

non soluentem gratuita vi pecunia. Locutum hic esse reor ICtum per schema quod Graeci appellant *αιγαταιπόδοτον*, quali etiam Vl- pianus vsus videtur in iureiurando calumniae b). Casus ergo hic est: debitor; a quo ob mutuo datam pecuniam usuras legitimas sibi stipulatus erat creditor, rem frugiferam in pignus tradiderat absque concessio usu: ille soluere statis temporibus negligit promissas usuras, posse tunc creditorem, Paulus pronuntiat, de fructibus rei sibi pigneratae ad modum legitimum, non ultra, usuras retinere. Ius itaque retinendi seu deducendi de fructibus datum est, non antichresticum, creditori. Quod si hoc ius appellare velis antichresin tacitam, per me licebit: nomen tamen nullibi in libris iuris reperitur. Interim expende, quae pro adstruenda tacita antichresi in medium proferunt GERARDVS NOODT c) et consultissimus ERN. CHRIST. WESTPHAL d).

b) L. 34. §. 4. D. de iureiurando.
c) de scenore et usuris. Lib. II. c. 9.
d) in libro cui titulum fecit *Versuch einer systematischen Erläuterung der sämmtlichen Römischen Gesetze vom Pfandrechte*. Cap. 4. §. 67. S. 126.

§. 5. qd. viiiij. menses. non

Qui dare antichresin possunt.

Omnis, qui lege non prohibentur, res suas in antichresin tradere valent. Excipiuntur in specie agricolae, quibuscum Imp. Iustinianus vetuit huiusmodi conuentiones celebrare. Digna sunt, quae referantur verba legislatoris Nov. XXXIV. obuia. Venit, inquit Imperator, ad aures nostraras, quosdam etc., quare temporum necessitate captata, foenerarios fecisse contractus, et paucam mensuram dantes terrulas eorum abstraxisse etc. Sanctissimus itaque omnes huiusmodi creditoris, quantumcunque vel tritici, vel hordei, vel in alia specie, quae in fructibus aridis est, dederint: hoc redditio, in praesenti cum parte modii octaua, per singulos modios, in unoquoque anno praestanda, terrulas colonis restituere: nemine penitus eorum audiente terrulas detinere sub occasione foeneratiae cautionis etc. Si autem pecunias dedit etc. Secundum hunc modum in quantum foenus permanferit percipientes, siue terrulas, siue aliud in pignus acceperunt boues forte vel pecora vel mancipia: haec modis omnibus reddant etc. Scituris omnibus creditoribus, quod si aliquid praeter hoc commiserint: exactione carent. Eiusdem tenoris est Nov. XXXII. Vide Auth. Ad haec. C. de usuris.

§. 6.

§. 6.

E p i l o g u s.

Iam manum de tabula. Cruda quidem et indigesta, nam talia ipse reputo, fatis est proposuisse: quare si hactenus tradita non satisfaciant, velim cogitari, non ubique in hac iuris materia noctem esse dispulsam, qua mecum alii circumvagati sunt. Neque in tantum mihi arrogo, ut haec pauca tanquam Euclidea poneam et quemquam ad ista amplectenda cogerem. Caussam scriptoris explicui supra: neque adeo Suffenus sum, ut acutius me vidisse ceteris glorier. Reliqua quae dici potuerunt ac debuerunt, commodiori tempori, quod certe otioso in patria deesse nequit, referuo. Subitanea haec nostra raptimque collecta, animum, mi lector! quaelo adiertas, non plenarias esse excusiones.

~~scriptio apud eum in eam in his annis regni eiusdem~~
~~anno triennio ab anno invenitur a. d. 1600. effecit ut~~
~~multum non erat anno 1600. a. d.~~

III.

*Priuilegia, quae ius in re aliena inuoluunt, per
non usum X vel XX annorum amittuntur.*

Apolo

IV.

*Conuentiones, quibus minores intuitu patrimonii
sui absque consensu curatoris festi obligarunt, ipso iure
inualidæ sunt.*

V.

*Neque status seruorum, neque eorum alienationes,
iuri naturae probantur.*

VI.

Populus, nec constitutionem imperii sua sponte immutare, nec iuribus quae sitis principem suum priuare potest.


ULB Halle

3

004 833 155



Slo



SCHEDIASMA IN AVGVRALE
ANALECTA QVAEDAM

EX
ANTICHRERI COLLECTA
PROMENS

QVOD

CONSENTIENTE ILLVSTRI ET INCLYTO

IVRECONSVLTORVM ORDINE

PRO SVMMIS

IN IVRE VTROQVE HONORIBVS

CA P E S S E N D I S

A. D. XXV. AVG. MDCCXCII

PUBLICO PROCERVUM EXAMINI

SVBMITTIT

A V C T O R

WILHELMVS ERNESTVS WICHELHAVSEN

BREMANS

G O T T I N G A E

LITERIS BARMEIERIANIS.

